

- 95 *PH.* utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres 175
 “potius quam te inimicum habeam”! si istuc crederem
 sincere dici, quidvis possem perpeti.
PA. labascit victus uno verbo quam cito!
TH. ego non ex animo misera dico? quam ioco
- 100 rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? 180
 ego impetrare nequeo hoc abs te, biduom
 saltem ut concedas solum. *PH.* siquidem biduom:
 verum ne fiant isti viginti dies.
TH. profecto non plus biduom aut . . . *PH.* “aut” nil
 moror.
- 105 *TH.* non fiet: hoc modo sine te exorem. *PH.* scilicet 185
 faciendumst quod vis. *TH.* merito tē amo, bene facis.
PH. rus ibo: ibi hoc me macerabō biduom.
 ita facere certumst: mos gerundust Thaidi.
 tu, Parmeno, huc fac illi adducantur. *PA.* maxume.
- 110 *PH.* in hōc biduom, Thais, vale. *TH.* mi Phaedria, 190
 et tu. numquid vis aliud? *PH.* egone quid velim?
 cum milite istoc praesens absens ut sies;
 dies noctesque mē ames, me desideres,
 me somnies, mē exspectes, de me cogites,
- 115 me speres, me te oblectes, mecum tota sis: 195
 meu’ fac sis postremo animu’ quando ego sum tuos.—
TH. me miseram, fors[it]an hic mihi parvam habeat fidem
 atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet.
 ego pol, quae mihi sum conscia, hoc certo scio
- 120 neque me finxisse falsi quicquam neque meo 200
 cordi esse quemquam cariorem hoc Phaedria.